



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Jus Canonicum Practice Explicatum, Seu Decisiones Casuum**

Ad Singulos Decretalium Gregorii Papæ IX. Titulos, & ad consuetum  
Referendi modum accommodatæ. Opus Novum

Complectens alteram Decretalium medietatem, videlicet nonaginta duos  
Titulos, à Titulo XX. libri III. de Feudis usque ad finem

**Pichler, Vitus**

**Ingolstadii, 1734**

Quæstio. An Leodegario Abbati vicissim competat jus venandi in  
Vicinorum sylvis?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62204](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62204)

## TITULUS XXIV.

De Clerico Venatore,

DECISIO CLXVIII,

De venationem exercentibus in vicinorum sylvis.

## SPECIES FACTI.

**L**eodegarius Abbas, Frobenius Comes, & Theodorus Baro in Bavaria habent sylvas vicinas & contiguas, nulla sepe clausas, Comes & Baro sæpius solebant egredi suos limites, & unus alterius sylvam ingredi, ibiq; feras persequi, jaculari & capere: imò nonnunquam etiam pervagari sylvam Abbatis: quod cum ex frequentiori relatione percepisset Leodegarius, venatori suo in mandatis dedit, ut nec ipse scrupulum sibi fa-

ceret, sed audacter in dictorum quoque vicinorum, Frobenii & Theodori, saltus ingrederetur, & ibi venando vices redderet. Sed hoc nullatenus isti tolerare volebant: præterea Nobilitati privilegiatæ in Bavaria jus quidem esse venandi in sylvis non modò propriis, sed etiam alienis vicinorum, non verò Abbatis, Præpositi, & Patritii. Quare mota est

## QUÆSTIO.

*An Leodegario Abbati vicissim competat jus venandi in vicinorum sylvis?*

**V**idetur negandum 1. quia Clericis & Religiosis de Jure Canonico ne quidem licitum est venari *text. in c. 1. 2. h. t. Clem. 1. §. porro de stat. mon. Trid. sess. 24. c. 14. de ref.* ergo multò

minus alienas ingredi sylvas. 2. Quia omnia Jura vetant alienum invadere locum, & jus alteri in tali loco competens violare. Et quamvis 3. hæc ratio etiam militaret contra Comitem & Ba-



& Baronem adversus se mutuo, ita ut neutri in alterius saltu venationem exercere per se licitum foret; nam apud Nobiles privilegiatos, die der Edelmanns Freyheit fähig, uti sunt Comites & Barones, ac alii, quibus ex speciali Principis gratia competit hæc prærogativa, tacita conventionne & longissimo usu inducta est hæc promiscua sylvarum ingressio, imò in ipsius Principis fundos exercitium minoris venationis (exceptis tamen specialiter reservatis Principi) extendere possunt, ita ut soleant per hyperbolem dicere, suum jus extendi, quousque se extendit color cæruleus firmamenti, so weit sich das Blau am Himmel erstreckt: talis autem conventio aut potestas respectu Abbatum &c. non reperitur, aut unquam agnita est. Non obstante, quòd 4. exercitium venatorium Prælati, Præpositi &c. in Bavaria communicatum sit in der Erklärten Lands-Freyheit p. 3. art. 14. & cap. 10. der Gejaidts-Ordnung. siquidem privilegium & concessio Principis, licet extendi possit in præjudicium concedentis, extendi tamen non debet nec potest in præjudicium tertii, jus venandi alibi habentis. 5. Nobilitati privilegiatæ competit jus, uti dictum, venationem exercendi in fundis Nobilium privilegiatorum: ergo etiam in fundis Abbatum & Monasteriorum, utpote minus privilegiatorum; cui enim permissum, quod majus est, utique permissum quoque

(R. P. Pichler Decis. T. 2.)

censetur, quod minus est: licet non vice versa.

Verum, licet perlibenter fatear, Abbatibus, Præpositis, & Collegiis Ecclesiasticis, jus venandi habentibus, facultatem non competere alienas sylvas ingredi & pervagari venando per suos, iniquum tamen esse existimo cum Illustriss. D. L. B. Schmid, quondam Bavaricæ Cancellario *semicent. 2. controv. l. n. 19. ut Prælati &c. teneantur Nobiles privilegiatos permittere in suos fundos & sylvas excurrere, ipsis tamen vicissim non liceat fundos & sylvas ingredi privilegiatorum Nobilium; igitur, si isti viâ facti ingrediantur venandi causâ sylvas Ecclesiasticorum & Monasteriorum, his quoque licere oportebit eorum sylvas venandi causâ vicissim ingredi jure defensionis, & quasi repressalia rum. Siquidem seclusa conventionne tacita inter Nobiles privilegiatos reciproce inita & longo usu declarata, nec ipsis licitum foret alienas vicinorum Nobilium sylvas ingredi, partim quia Jure Communi & Gentium alterius fundum ingredi, & jus in eo habentis lædere permissum non est, nec privilegium in tertii præjudicium extendi potest: partim quia ipsum Jus Bavaricum in cap. 12. Ordinationis venatoricæ, der Gejaidts-Ordnung. §. Es sollen id satis disertè prohibetur verbis: *Bil we niget soll sich jemand anmassen in eines**

\* U



eines anderen Erbgeaiderey das kleine Weidwerck zutreiben, er hätte es dann daselbst von Alters in Kundlichen genugsamen Inhaben hergebracht. Item in decreto Electorali de anno 1673. 19. Jun. vers. zum anderen, ubi Serenissimus Elector privilegium Nobilitati Bavaricae competens ita declarat: Es solle zwar dem Befreyten Abstandt, wie es ohne das vormahls keinen anderen Verstand und Meinung gehabt, die Lustbarkeit des kleinen Weidwercks (ad quod teste laudato Cancellario n. 13. etiam pertinet persecutio & captura urforum, aprorum, & capreolorum, der Bären, Wildschwein, und Rech, licet aprorum non aliter nisi per canes venaticos, vom Strick aus) als ein Adelige Er gößlichkeit mit Schiessen, Wachtlen, und Hayen auf Haasen und Füchs, auch anderen kleinen Weidwercks, sowohl in ihren Hoffmarken, als auch in Ihro Churfürstl. Durchlaucht Landts. Gerichten gnädigst verstatt und zugelassen seyn: ergo non in aliis fundis Hoffmarchialibus Nobilium, minus monasteriorum &c. permiffum est venari. Quo decreto derogatum quoque est cuidam alteri decreto praecedenti de anno 1667. 29. Dec. ubi jus minoris venationis etiam ad fundos alienos fuit extensum per verbum durchgehend sine adjecta exceptione. Solum igitur in tacita conventionione fundare se debet Nobilitas Bavarica in ordine ad

venandum in alienis fundis: atqui inter Nobiles & Abbates &c. non constat de tali conventionione: vel, si constat & allegatur, viciffim licet Abbatibus &c. venari in Nobilium fundis; cum reciproca conventiones utramque partem vel neutram ligent ad idem faciendum & patiendum. Imò Cancellarius Schmid n. 20. consultius esse arbitratur, ut Nobiles privilegiati dictam conventionem tacitam inter se mutuo existentem conventionione contraria expressa tollant & abrogent, eò quòd experientia docuerit, ex hac reciproca licentia non nisi rixas, rancores, odia, & invidias, si non etiam majora mala, jurgia, vulnerationes, cades, & similia exorta fuisse, cum Domini & eorum venatores conquererent, quòd fera bestia, quas longo tempore per singulararem curam & sollicitudinem in fundis suis enutrierunt, & multiplicari fecerunt, habens gehapet, à vicinis sibi una vice direpta fuerint.

In contrarium adducta nihil faciunt negotii. Ad 1. *dist. Ant. Clericis & Religiosis de Jure Canonico prohibita est venatio clamorosa, statum ipsorum dedecens, cui ipsimet in persona interfunt. C. Ant. venatio quiesca & placida, vel clamorosa quidem, cui tamen ipsi personaliter non interfunt, seu jus venandi in suis fundis. N. Ant. Consequens est quidem verum,*



rum, sed non minus verum est apud alios, & Nobiles privilegiatos, quod per se ipsi non liceat ingredi alienas sylvas venandi causa. Ad 2. *C. totum*, & infero, nec Abbatem obligari ad Nobiles admittendos in suis sylvis venantes; vel, si isti id tamen attentent, vices eis reddere Abbatem posse contentendo jure defensionis, repressaliarum, & compensationis: at verò quia hic modus se defendendi facile præbet occasionem variorum incommodorum, ad Principem spectabit prohibere Nobiles, ne Abbatum &c. sylvas pervagentur venando. Ad 3. Licet sit talis conventio inter Nobiles privilegiatos mutuo, non tamen est inter Abbates &c. & Nobiles; adeoque sicut Abbates excluduntur ab ingressu in sylvas Nobilium, ita vicissim jure merito Nobiles excluduntur ab ingressu in sylvas Abbatum; cum conventiones solum pacifcentes ligent, &

his duntaxat jus tribuant, ac inter alios acta aliis nec obesse nec prodesse debeant per notoria. Ad 4. ex eodem principio, quod privilegium vel concessio Principis nequeat extendi in præjudicium tertii, rectè inferitur, nec Nobilibus datam à Principe venandi potestatem extendi posse in præjudicium tertii, Abbatum, Præpositorum, Monasteriorum, & Collegiorum Ecclesiasticorum. Ad 5. *N. Conf.* quod enim Nobiles inter se ipsos longo usu & quasi ex tacita conventionem induxerint jus venandi in alienis sylvis, & vicissim patiendi venationem aliorum Nobilium in suis sylvis, tribuendum est eorum libero consensui & voluntati, non dispositioni Juris, adeoque tertio, & quidem invito ac non consentienti, in consequentiam obrudi non debet.



U 2

TITU-